



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Petri Chrysologi Archiepiscopi Ravennatis, viri
eruditissimi atque sanctissimi, Sermones In Evangelia De
Dominicis & festis aliquot solemnioribus totius anni,
insignes & peruetusti**

Petrus <Chrysologus>

Lvgdvni, 1623

In diuam Felicitatem Martyrem. Sermo CXXXIV.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50232)

æstuans & anhelans, ac toto virtutis gradu dominicis incumbit hære vestigiis, nec eum cursus faciat disparem fratri, quem natura similem, vocatio socium, parem gratia ipsa perfecerat. Ad vnam vocem domini sicut ille patrem, patriam, censum reliquit: laboribus, opprobriis, itineribus, contumeliis, vigiliis, Christi indefesse germani societate donauit: solum est quod tempore dominicæ passionis fugit, sed neque hoc impar, quia fugit: negare autem si aliqua putatur culpa, non est grauius fugere, quam negare: sed tacenda sunt alia: æquauit fratres venia, quos sic discreuerat culpa. Et secutus, vt deuotio perprobauit, quos metus improbauerat antecedens. Nam crucem quam refugerant, postea coniunctis viribus ardentè inuadunt, vt vnde reatum sumpserant, inde conscenderent cælum, inde præmium sumerent, & coronam. Petrus namque crucem, arborem cõscendit Andreas: vt qui Christo compati gestiebant, in semetipsis figuram, formamque ipsius exprimerent passionis: & redempti ligno consummarentur ad palmam. Sic Andreas noster & si cedit ordini, præmio tamen non cedit, & labori.

In diuam Felicitatem Martyrem. Sermo CXXXIV.

Quoniam varios martyrum, multiplicesq; triumphos, quos persecutoris crudelitas toties illusa cumulauit, tempus nos dinumerare non patitur, ad illam tota nostri sermonis confugit oratio, quæ meruit filios tot habere, quot dies mundus accepit. Vere mater luminum, fons dierum: quæ septenario corusco germinis sui toto orbe splendet. Beata quæ non solum pro lege patitur, sed ipsius legis heptalifmū meruit mater sancta generare: heptalifmum fratres, qui non vnius & temporalis tabernaculi illustra-

ret

ret arcanum, sed Ecclesiam sempiternam sacro illuminaret incenso. Fœlix, quæ meruit portare tot virtutum pignora, quot illa arca præceptorum volumina sacrata gestauit: & vt illa verbo, ita hæc doceret exemplo. Iam tunc eos fratres, martyres genuit, quado eos partus sui septenario numero consecrauit, & mystico. Huc, huc sanctus Paulus veniat, qui adhuc parturit donec Christus formetur in homine. Ecce mulier iterum, atque iterum parturit, donec in virtutem mutetur infirmitas, caro transcendat in spiritum, terra transferatur in cœlum. Ardebat, anhelabat, vt eos vno die sacros martyres pareret, quo vix paruulos per annorum curricula generabat. Ecce mulier, ecce mater: quam vita filiorum fecit anxiam, mors securam. Beata, cui in futura gloria tot astant cœdelabra, quot germina. Beata, quæ tot præmisit ad regnum: beator, quæ suum in sæculo nil amisit. Discurrebat lætior inter confossa cadauera, quam inter cunabula chara filiorum, quia internis oculis tot cernebat brauia, quot vulnera: quot tormenta, tot præmia: quot victimas, tot coronas. Et quid plura fratres? Non est, non est vera mater, quæ nescit filios sic amare.

Exod. 25:

Gal. 4.

In diuum Laurentium, Sermo CXXXV.

HOdiernus dies baptismi martyris Laurentij corona illustratur: cuius egregij martyris merita nulla pars Romani orbis ignorat: Passus est in ipso capite gentium, i. in ipsa vrbe Romana. Ibi enim diabolus ministravit: & in ipso iuuentutis suæ flore decorem iuuentutis suæ sanguine purpurauit. Passio eius insignis est, multumque mirabilis: hanc breuiter, Domino adiuuante, narrabo. Illo tunc Archidiacono beatus Sixtus erat Episcopus, cuius triumphus martyrij ante triduum fuit. Cum ergo sanctus

G g 2

Laurentius